

Auspice Christo
 SUBSEQUENTES

1632

2

31

DE LEGATIS ET FIDEI COMMIS- SIS,

Conclusiones

*Magnifici atq; Amplissimi Jctorum Ordinis in Celeber-
 rima Academia Witebergensi consensu*

PRÆSIDE

CONRADO CARPZOVIO,
 J. U. Doctore, Sereniss. Elector. Saxon. Consilia-
 rio, Professore Publ. Cur. Provinc. Consistor. Eccle-
 siast. & per Lusat. inferior. Judiciæ Affes-
 sore.

*Publicè examinandas ac ventilandas
 proponit*

AUGUSTUS CARPZOVIVS,
 Coldicensis Misnicus,

In Auditorio Jctorum

Ad diem XI. Aug. horis matutinis

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN,
 ANNO M DC XXXII,

DE LEGATIS
ET FIDELI COMMIS-

CONRADUS CARPZOVIVS
J. D. Doctor, juris, et Canon. Consilia
in Praesentia Praesentis Consistorii
et Consistorii Praesentis Consistorii

ALBERTUS CARPZOVIVS
Cancellarius Praesentis

PETTERBERG
I. OMNIA JURE JURIS
ANNO DOMINI 1621



IN NOMINE DŌMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

Conclusiones Juridicæ

De Legatis & Fideicommissis.

I.

Solemne & familiare JureConsultis, quorum
actio nostra debet esse institutio, est, notitiæ rei præ-
mittere principia nominis, & à notatione vel allusio-
ne ordiri *l. 1. ff. de reb. cred. l. 1. ff. de adquir. poss. l. 1. de furt.*
Ec. Everh. à Midelburg loc. ab Etymol. Non est enim quic-
quam ad cognitionem ullarum rerum magis utile & con-
ducibile, quam nominum explorata significatio. *Arist.*
lib. 2. Sophist. Elench. 2. & qui rerum vocabula non curant
rectè intelligere, in rebus quoque ipsis facilè errant, quod
ex Plutarcho refert *Giphan. in præf. part. feud. Rittersh.* in
significationeque nisi homines conveniant, nulla realis
inter eos possit esse disputatio. *Steph. de Jurisd. in pr. n. 9.*
quod & *Cic. faciendum docet lib. 1. off. in pr.* Omnis, in-
quiens, quæ à ratione suscipitur aliquâ de re institutio, de-
bet à definitione nominis proficisci, ut intelligatur quid
sit id, de quo disputetur: Proinde & à nobis prius de Vo-
cis Legati derivatione & notatione videndum.

2. Quam legati vocem à legendo, id est, diligendo
Alii arg. *l. 116. pr. deleg. 1. Wesemb. in w. eod. n. 2. Don. 8. com.*
1. vers. legare. Treutler. vol. 2. disp. 13. th. 1. lit. A. Alii à lege,
quod legis modo relinquatur, *Ulp. in frag. t. 25. pr. Gædd. ad*
l. 120. de V. S. n. 1. Valent. Guiliel. Först. lib. 2: disp. 14. th. 1. Du-
ar. 2. disp. 9. Alii denique à græco vocabulo *λήγειν*, quiescere
vel finem facere, dictum putant. *Giphan. quem citat Har-*
pr. ad § legatum 1. Inst. h. t.

A 2

3. Ejus



3. Eius SIGNIFICATIO vel GENERALIS est, vel SPECIALIS. IN
GENERE significat omne quod quis de re suâ in aliû post
mortem suam confert: heredis institutionem, legata pro-
priè sic dicta, libertatis dationem & tutoris constitutionē
complectens, ut in l. XII. tab. UTI QUI SQUE REI SUAE LE-
GASSIT, ITA JUS ESTO. *Ulp. t. 12. §. testamento. 13. in fragm. l.
verbis legis 120. de V. S. ibique Gæd. Myns. ad pr. Inst. hic, n. 3.* IN
SPECIE hodiè strictè accipitur, & ad solas singulares dona-
tiones post mortem ab herede præstandas refertur. *d. l. ver-
bis. de V. S. Vigl. ad pr. Inst. de testam. n. 33.*

4. In specie sic accepta definitur quod sit DONATIO
*arg. l. 1. ff. de donat. l. rem legatam 18. ff. de adimend. vel transf.
leg. § si res alienas. Inst. h. t. Don. 8. com. 2.* atque ita discerni-
tur ab hereditate, *l. hereditatis 119. de V. S. Wesemb. in § 1.
Inst. h. t. n. 2. Harpr. ibid.* Non autem donatio inter vivos
est aut mortis causa, sed peculiaris donationis species, uti
QUAEDAM vocabulû, quod adijcitur innuit. *Myns. add. § 1.
n. 4.* à DEFUNCTO sive is ab intestato, sive testato decedat:
olim tamen à testatore tantum relinquebantur. *§ prater ea.
10. Inst. de fideic. hered. l. 116. pr. de leg. 1. Wesemb. d. l. RELICTA,*
non verò inter vivos constituta, quâ ratione à donationi-
bus aliis differt *l. inter 38 ff. de mort. caus. don.* AB HEREDE, sci-
licet tam legatario seu particulari successore, quam
universali, ut in *l. 219. de V. S. Gæd. in d. l. 120. de V. S.
Trentler. vol. 2. disp. 13. th. 1. lit. d. PRAESTANDA d. § legatû.
1. h. t.* Proindè verba hæc postrema (ab herede præstanda)
in d. § 1. ab Imp. nostro Justin. posita, tanquam spuria &
supposititia, ut statuunt *Bronchorst. cent. 2. c. 110. §. 45.
Borch. d. § 1. h. t. Gæd. add. l. verbis 120. de V. S.* & si qui sunt
alii, non agnoscimus, sed ceu necessaria, sicque minimè
ociosa, omninò retinenda esse existimamus cum *Harpr. ad
d. § legatum 1. Inst. h. t. n. 18. Wesemb. ibid. n. 3. Cujac. in π. de
leg. 1. n. 2. Forster. lib. 2. disp. 14. th. 2. Don. 8. comm. 1.*

5. Hinc

5. Hinc suboritur quæstio inter Dd: Si testator ipse-
met legatario legatum tradiderit, solverit, antequam de-
cessit, num legatum naturam legati amittat? Legatum
manere, solum amplius non deberi cum VVelesbecio
statuendum censeo; ab initio enim sic relictum est, ut es-
set ab herede præstandum. *l. Lucius. 22. ff. de leg. 2. l. filia. 11.*
C. h. t. Wesemb. p. 1. cons. 26. n. 9. Gomez. tom. 1. var. resol. c. 12.
n. 4. Don. 8. com. 1.

6. GENERA LEGATORUM pristinis temporibus quatuor,
certâ formulâ & solemnitate concepta, in usu fuisse ex
Ulp. in fragm. t. 24. & Gajot. 5. lib. 2. Inst. refert Imp. Justinianus
§ 2. h. t. VINDICATIONIS nimirû, DAMNATIONIS, SINENDI
MODO, ET PRAECEPTIONIS. Quæ omnia unâ cum verbo-
rum solemnitate & actionû formulis Justinianus (post Di-
vos Principes Constantinû, Constantium, & Constantem
l. in legatis 21. C. h. t.) novâ suâ Constitutione sustulit, & ul-
timarum favore voluntatû inductus constituit, ut omni-
bus legatis una sit natura, vis atque potestas: & quibus-
cunque verbis, ad voluntatis tamen declarationem aptis
& idoneis relinqui, & quâcunque actione sive reali, sive
personali, vel etiam hypothecariâ, quæ olim compete-
bant, peti possint. § sed olim. 2. Inst. h. t. l. 1. § 2. C. com. de
leg. Etsi autem hæ tres actiones legatario competunt, non
tamen eas simul potest intentare, sed ex iis unam eligere
debet, quâ legatum petat, & unâ harum electâ actionum,
ad aliam transilire non licet l. cum filius 76. § variis. ff. de leg.
2. arg. l. 1. ubi Gothofr. C. de furt. Oldendorp. class. 5. act. 4. We-
semb. in d. § 2. n. 3. ibique Harpr. n. 18. Don. d. lib. 8. com. c. 3. &
4. In hoc verò territorio Saxonico legatarius pro conse-
quendo legato, tacitam in omnibus defuncti bonis hypo-
thecam habet. N. B. D. tit. 45. rubr. von dem stillschweigens
den Pfand. §. Item / wenn einem aus einem Testament. et-
was legirt. &c.

7. Quia

7. Quia verò prædictæ, pro legatis consequendis actio-
nes jure comparatæ sunt, incongruum & abs re non est,
ut hic inseratur quæstio utilis & intricata: An pro legato
consequendo possit agi via executiva ex *l. fin. C. de Edicto Di-
vi Hadriani tollendo*; an verò necessaria sit ordinaria actio?
Et licet *Angel, Jason & Dd. comm. in c. fin. Nov. 1. & ad d. l. fin.
Alciat. in l. pecunia. 178. § actionis. de V. S.* opinentur, lega-
torum nomine processum executivum institui posse: ne-
gativam tamen sententiam longè esse verissimam puto,
per illam *l. fin. vers. fin. autem. C. de Edicto Div. Hadr. toll. Bo-
cer. class. 3. disp. 8. th. fin. Mynsing. cent. 5. observ. 61. Fachin. 5.
controv. c. 31. Treutl. vol. 2. disp. 13. th. 7. lit. C. Harpr. ad d. §
sed olim. 2. h. t. n. 25. & nonnulli alii ab his citati.*

8. Totum hoc legatorum jus CONSISTIT IN CONSTI-
TUTIONE & INFIRMATIONE. CONSTITUTIO SPECTATUR
IN PERSONIS, REBUS, & RELINQUENDI MODO. PERSO-
NAE in triplici sunt differentia: QUÆDAM enim sunt quæ
legare possunt: QUÆDAM quibus legari: & QUÆDAM à
quibus legari potest.

9. LEGARE POSSUNT omnes qui testamenti faci-
endi jus habent *l. 2. deleg. 1. l. 1. § 1. de leg. 3.* Testamenti autem
factionem nō habent alii propter potestatem cui subsunt;
alii propter defectum. In illis sunt FILII FAM. *pr. Inst. quib.
non est perm. fac. test. l. qui in. 6. l. filius fam. 16. l. si filius fam. 19.
ff. qui testam. fac. poss. l. p. & ult. C. eod. l. 8. § 5. vers. filii autem
famil. C. de bon. qua lib. SERVI, d. l. 1. § 1. de leg. 3. d. l. filius fam.,
16. d. l. 19. l. 20. § 7. ff. qui testam. fac. poss. DE STATU SUO ER-
RANTES vel DUBITANTES: *l. qui in testam. 14. & l. seq. ff. qui
test. fac. poss. AB HOSTIBUS CAPTI, § fin. Inst. quib. non est per-
miss. fac. test. l. ejus. 8. pr. ff. qui test. fac. poss. l. facere. 10. ff. de test.
milit. OBSIDES Romanis dati, l. obsides. 11. qui test. fac. poss. l.
Divus 31. ff. de jure fisci. DAMNATI POENA CAPITALI, l. 8. §
1. & f. qui test. fac. poss. l. si quis. 6. § 6. ff. de injust. rupt. irr. De-
fectus**

fectus ob quem alii testari prohibentur, vel ANIMI est, ut
in IMPUBER. § 1. in pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. si fra-
ter. 4. C. qui test. fac. poss. l. à qua. s. l. si filiusfam. 19. ff. eod. FU-
Rioso, d. § preterea. 1. Inst. quibus non est perm. fac. test. l. filius-
fam. 16. § 1. qui test. fac. poss. l. furiosum. 9. C. eod. MENTECAPTO,
l. 2. l. 17. ff. d. t. PRODIGO, l. is cui. 18. in pr. ff. qui test. fac. poss.
§ item prodigus. 2. Inst. quib. non est perm. fac. test. vel COR-
PORIS, ut in MUTO literarum ignaro, ut & muto,
surdo naturâ: item muto surdo ex casu si literas nesciat. l.
discretis. 10. C. qui test. fac. poss. l. 6. § 1. ff. d. t. § item surdus. Inst.
quib. non est perm. fac. test. COECO si fari nequit. l. hac consul-
tissimâ. 8. C. qui test. fac. possunt.

10. LEGARI POTEST iis tantum cum quibus testamenti
factio est § legari. 24. Inst. h. t. passiva saltē, h. e. qui ex alie-
no testamento vel ipsi capere, vel aliis acquirere possunt;
licet testamentum (nullo tamen suo facinore intestabiles
facti quales sunt DEPORTATI, l. 1. C. de hered. instit. l. 17. § 1.
ff. de pœnis. HAERETICI, l. 5. C. de haeret. & Manich. APOSTA-
TI, l. 3. C. de apost. QUI SACRUM BAPTISMA ITERANT, l. fin. C. ne
sanct. baptis. ex DAMNATO COITU NATI. Auth. ex Complexu C.
de incest. nupt.) facere nequeāt § in extraneis. 4. vers. testamenti
autem. Inst. de her. qual. & diff. potest enim filiisfam. infanti-
bus, servis & aliis legari, qui testamenti factionem activè
non habent. In casu tamen l. is cui. 11. ff. de alim. legat. ob fa-
vorem alimentorum, legatum subsistit, licet institutio
non valeat. l. 3. pr. ff. de his qua pro non script. hab. Harp. ad d. §
legari. h. t. n. 3. ibiq. Petrus Heigius. n. 2.

11. ANTIQUITUS INCERTAE PERSONAE nec heredes institui,
nec legata capere poterant, § incertis. 25. Inst. h. t. l. 1. C. de in-
cert. pers. Ulp. in fragm. t. 25. § incertae personae. Legata tamen in-
certis personis relicta, puta pauperibus, vel in redemptio-
nem captivorū, singulari piarū causarū favore valebant.
l. id quod. 24. l. nulli 28. pr. l. si quis. 49. in pr. C. de Episc. & Cler.

Borch,

Borch. Myns. & Heigius, in d. § incertis. Hodie verò licet nomen heredis nō exprimat, modo aliàs persona certa sit, vel determinari relativè possit, institutio & legatum valent. § *sed nec hujusmodi. h. t. Ulp. in fragm. loco præalleg. Don. in l. 5 de reb. dub. Schneidov. ad d. § incertis. n. 4. hic.* Persona verò planè incerta nec hodie institui potest, nec olim potuit. Atque ita intelligi potest *l. 9. § 9. de hered. instit. l. sciendum 70. de V. S.* in quibus aliàs dicendum foret, juris veteris vestigium reledisse: Qui autem incertæ personæ dicantur, Justin. satis luculenter ostendit in *d. § incertis. 25. adde Borch. eod.* Hinc & civitatibus, vicis & collegiis, licet incerta corpora videantur, ut *Vlp. inquit t. 23. § 4. id quod & jam olim in civitatibus placuit l. si quid. 117. de leg. 1. l. civitatibus. 122. eod. rectè legatur l. si heres 73. § 1. d. t.* modò collegia sint licita, id est, speciali privilegio subnixta. *l. collegium 8. C. de hered. instit. l. 1. ff. quod cujusque universi nomine.*

12. SIC ET EI QUI IN REBUS HUMANIS NONDUM EST, conceptus tamen, ritè legatur. § *28. h. t.* quod jure antiquo secus erat, posthumus enim alienus ut persona incerta nec heres institui nec legati capax esse poterat. § *posthumus. 26. h. t.* Sed quid est, quod in *d. § 28.* dicitur: posthumum & olim legati capacem fuisse: Id de jure honorario sive prætorio & æquitate est accipiendum: jure verò civili, seu rigore juris inspecto alieno posthumo non potuit legari, ut ipsemet Justin. conciliat in *pr. Inst. de bonor. poss.* jure namque Prætorio heres institui poterat, & instituto secundum tabulas bonorum dabatur possessio, per *d. pr. de bon. poss. l. posthumus. 6. ff. de in off. testam. l. 1. § 12. ff. de ventr. in poss. mitt. Don. 6. com. 11. circ. fin. Fab. 9. conject. 2. Mynsing. ad d. § posthumus 26. n. 1. ibidemque Heigius, Harpr. n. 4. Diss. ibid. Wesemb. n. 7. Vultei, eod. n. 3.*

13. QUID

13. QUID SI ERROR INTERVENERIT? Aut testator errat in corpore legatarii & vitiatur legatum, neque debetur ei cui datum est, quia voluntate deficitur: neque illicui testator relictum illud esse voluit, quoniam scriptus non est *l. quotiens 9. ff. de hered. instit.* Aut errat in sanguinis conjunctione, & etiam inutile redditur & vitiatur legatum *l. neg. possessio 5. C. de testam. l. si pater. 4. l. nec apud. 7. C. de hered. instit. l. aufertur. 46. pr. ff. de jure fisci.* Aut denique errat in nomine, cognomine, prænومine vel agnomine, & nihilominus legatum subsistit, modò de persona constat *§ si quis. 29. Inst. h. t. l. 8. § 2. ff. de bon. poss. sec. tab. l. si in 4. C. de testam. l. si Fortidianum. 7. § 1. C. h. t.* Cum enim verba rerum notæ sint *l. Labeo. 7. § 2 ff. de supell. leg.* non tam id quod est dictum, quàm mentem inspicere debemus: Et finis ubi habetur, de mediis parùm solliciti sumus *arg. l. 10. § 1. ff. quem testam. aper. l. si mater 3. ibique Baldus C. de instit. & substit. Perinde igitur est, sive quis nomine proprio, sive certâ periphrasi ac demonstratione aliquâ vel officii vel artificii &c. designetur. l. quotiens. 9. § 8. ff. de her. instit. l. certum. 6. ff. de reb. cred.*

14. LEGARI POTEST ab omnibus ad quos morte testatoris aliquid perventurum est, sive eis ultimâ voluntate aliquid detur, sive quod idem nō adimatur *l. 1. § 6. l. 6. in fin. ff. de leg. 3. l. 1. § 17. in fin. ff. ad SC. Trebell. l. 9. C. de fideicom. l. 41. § 3. vers. & ideâ. de vulg. & pup. substit.* quod enim adimere quis potuit, & non fecit, dedisse videtur, si manere apud cum patitur *l. quâ ratione. 9. § 5. ff. de acquir. rer. dom.* Unde duo genera eorum, à quibus relinquì legatum potest: Unum est heredum tam institutorum, quàm substitutorum. *l. ex duobus. 34. § fin. cum. l. seq. ff. de vulg. & pupill. subst.* dummodo ipse impubes à patre prius institutus fuerit: *l. 126. de leg. 1. l. ult. de leg. 3.* sive legatarii fuerint sive fideicommissarii

B

sarii



lari d. l. ab eo. 9. C. de fideicom. eorumque heredes l. si fuerit.
s. § 1. de leg. 3. Ab ipso tamen herede eidem heredi inutili-
ter relinquitur. l. Et quidem. 18. l. plane 34. l. legatum 116. § 1.
de leg. 1. Ulp. h. t. § 22. ALTERUM est legitimum here-
dum, & qui ab intestato successuri sunt. l. 1. § nec tantum-
sum § seq. de leg. 3. l. si fundum. 92. de leg. 1.

15. LEGARI PERMISSAE regulariter censentur res om-
nes quæ prohibita non reperiuntur. Prohibentur
quædam QUAE HUMANO COMMERCIO EXEMPTAE; quædam QUOD
NIHIL UTILITAS LEGATARIO ADFERANT. HUMANO COMMERCIO
exemptæ sunt res vel NATURA, ut quæ in rerum natura nec
sunt, nec esse possunt; earumque sicuti nec stipulatio
§ 1. Inst. de inutil. stipul. ita nec legatum l. mortuo 49. pr. ff.
de leg. 2. non entis enim nullæ sunt qualitates; & impos-
sibile nulla obligatio l. liber. 103. de V. O. l. impossibile
185. de R. I. Si quæ tamen in rerum natura futuræ sunt, ex
legari non prohibentur l. quod 24. pr. ff. de leg. 1. l. etiam ea 17.
de leg. 3. § ea quoque res 7. Inst. h. t. vel JURE, ut sunt res DI-
VINI, ut sacra & sancta; & HUMANI JURIS, ut res publicæ,
principis &c. l. cum servus. 39. § ult. de leg. 1. § idem juris est.
2. Inst. de inutil. stipulat.

16. Certe quando rei commercium non est, nec æsti-
mationem ejus deberi non dubitamus, ne quod inutile
est legatum, ad hoc utile sit, ut inde æstimatio debeatur,
per d. l. cum servus. 39. § fin. de leg. 1. § non solum 4. h. t. l. mortuo.
49. § Labeo. ff. de leg. 2. licet poena adjecta fuerit legato.
§ fin. Inst. h. t. l. unic. C. de his qua poena nom. effectum enim,
quod ipso jure nullum, producere non potest l. non du-
bium. 5. C. de lb. Dd. in l. multum. 34. ibid. Don. n. 9. Alciac.
n. 12. de V. O.

17. Quid si alterutri vel heredi, vel legatario rei lega-
ta commercium sit interdictum? Et priori quidem casu
here-

heredem vel rem ipsam, si comparari possit, vel ejus æ-
stimationem: posteriori verò casu, nihil prorsus debere,
probabilius est *d. l. mortuo. 49. § Labes. cum § seq. arg. l. mul-
tum interest. 34. de V. O. Hottom. Borch. Mynsing. Harpr. ad d.
§ non solum. h. t. § Goed. de contrab. stipul. c. 6. cond. 10. n. 118.
Bronchorst. cent. 3. c. 110. § 46. Diss. Duar. ad l. 40. de leg.
1. § Hott. 1. amicab. resp. 25. quos refutat. Donell. loco alleg. §
Goed. d. n. 118.*

18. De re quæ in hostium potestatem pervenit hic am-
plius inquirunt, num & ea legari possit? Sed in hâc am-
biguâ quæstione, ita commodè distinguendum est. Aut
res nostra apud hostes existens jure postliminii aliquando
reversura speratur, & sic reversa perindè habetur, ac si
nunquam capta fuisset. *l. id quod, 9. l. servus. 98. de leg. 1. l. ult.
ff. de act. empt. § si ab hostibus. 5. Inst. quib. mod. jus patr. potest.
folv.* Aut res apud hostes existens, nunquam nostra fuit,
& legari non potest, sed ita demum si ab aliquo emi vel
vendi possit, præcipuè si res est mobilis, exceptis armis, &
quæ ad victum parandû pertinent; reliquarum enim mo-
mobilium commercium cum hostibus rectè exercetur
*l. cotem. ferro. 11. pr. ff. de public. § vectig. l. 1. § 2. C. que res
export. non debet. l. unic. C. de lit. § itin. lib. 12. & eorum do-
minium ab hostibus ad nos transfertur. l. ab omnibus. 104.
§ 2. de leg. 1. Don. lib. 8. cap. 11. vers. in secundo. Hottom. ad
d. § non solum. Goed. n. 47. § seqq. Broch. cent. 2. c. 110. §
47.*

19. **NIHIL UTILITATIS LEGATARIO ADFERUNT** legata quæ vel
LEGATARIO PROPRIA vel **EI DEBITA. RE LEGATARIO PROPRIA**
simpliciter & purè legatâ, adèd inutile redditur legatum,
ut nec convalescere, licet vivo testatore alienata à legata-
rio fuerit, queat *§ sed si rem. 10. Inst. h. t. l. cætera. 41. § 2. de leg. 1.*
quod enim jam ante meû, amplius meum fieri per legatû
nō potest *l. 159. de R. l. l. § an eadem. 14. § 2. ff. de except. rei judic.*



& vires cum ab initio non habuerit legatum d. § sed si rem.
h. t. d. l. 41. § tractari. de leg. i. tractu temporis conualescere
nequit. l. quod initio. 29. l. omnino 201. de R. L. l. 1. ff. de Reg. Ca-
ton. nisi sub conditione, quâ vivo testatore legatarii esse
res defierit, legetur. d. § 2. l. 41. d. l. 1. § 1. & l. 4. de Reg. Ca-
ton. aut res perfectè ejus cui legatur non fuerit, & sic am-
plius, quam quod ipsius, adjecerit l. non quocunq. 82. § 1. de
leg. 1. l. si domus. 71. § fin. eod. Don. d. c. 11. vers. sed hoc lega-
tum.

20. RES LEGATARIO DEBITA inutiliter ipsi legatur, nisi
amplius quid in legato contineatur quàm in debito. § ex
contrario. 14. Inst. h. t. l. 11. l. 25. ff. de liberat. leg. quod fit vel
potestate novæ actionis efficacioris sive plenioris, aut
prioris debiti repræsentatione seu maturiori solutione
l. sin autem. 29. de leg. 1. d. § ex contrario. vers. quod si in diem.
h. t. His itaque cognitis facilè ex disciplina contrariorum,
quæ legari possunt, intelligemus.

21. Præter ea itaque LEGARI POSSUNT res omnes tam
corporales quàm incorporales § tam autem. 21. h. t. d. l. 41. pr. de
leg. 1. Hereditas tamen legari non potest, propterea quod
in legato tantùm lucri habeatur ratio, nulla damni, ut dict.
supra concl. 4. in hereditate utriusque l. si hereditatem 32. ff.
mandati.

22. PRAESENTES & FUTURAE § ea quoq. 7. Inst. h. t. l. 24.
pr. de leg. 1. l. 15. l. 17. pr. de leg. 3. Sunt autem hæc legata con-
ditionalia ex naturâ ipsius rei: habent enim conditionē,
Si nascentur vel producentur. l. interdum 73. de V. O. l. 1. §
fin. de cond. & demonstr. non tamen censentur legata condi-
tionalia quoad impediendam transmissionem l. 99. ff. de
cond. & dem. sed perindè est, ac si purè fuissent legata l. 25.
pr. ff. quand. dies legat. l. 8. pr. de vulg. & pup. substit. Mynsing.
add. § ea quoq. Treutler. vol. 2. disp. 13. th. 4. lit. B. & vulgò
Dd.

Ed. velle Zasio in d. l. 73. de V. O. Hic quæritur; RELICTO
LEGATO RERUM FUTURARUM, SI NON EXISTAT TANTUM
QUANTUM LEGATUM EST, AN HERES AD PRAESTATIONEM
TOTIUS TENEATUR? Affirmandum videtur per. *l. Paula. 27.*
§ fin. de leg. 3. l. Lucius Titius. 12. ff. de alim. vel cibar. legat.

23. PROPRIAE & ALIENAE d. § non solum. 4. cum duobus
seqq. *h. t. d. l. cum servus. 39. § 7. l. si res. 57. de leg. 1. l. si pe-*
cunia. 12. de leg. 2. l. cum alienam. 10. C. h. t. Ex hoc casu si sci-
ens testator legavit, valet legatum, & heres vel rem ipsam
præstare, si comparari queat; vel æstimationem, si redimi
justo precio nequeat, tenetur *d. § non solum. vers. quod autem*
diximus. l. unum 67. § si rem. 8. de leg. 2. Secus si ignoraverit
& rem suam esse putaverit, quia testator errans in rei suæ
dominio, non intelligitur consentire *l. se per errorem. 15. ff.*
de jurid. l. nihil consensui. 116. de R. I. nec præsumitur legatu-
rus fuisse, si eam rem esse alienam scivisset; cum volunta-
tes hominum sint faciliores in rebus suis legandis, quam
in alienis comparandis, sicque onerandis heredibus, *d. l. 67*
§ 8. de leg. 2. l. fideicommissa. 11. § 16. ff. de leg. 3. Nisi legatarius
persona conjuncta sit, ut expressè ab Alexandro rescriptum
in *d. l. cum alienam. 10. C. de legat. ubi Sichar. n. 12. § 18. Harpr.*
ad d. § non solum n. 40. Aut libertas legetur *l. Paulus. 39. ff.*
de fideic. libert. § in casu l. Quintus. in fin. ff. de auro & arg. leg.
Aut ipsius heredis res fuerit *d. l. 67. § 8.* ea enim testatoris
propria censetur, quia heres & defunctus una eademque
persona esse censentur. *Nov. 48. in fin. præfat. & rei alienæ*
in d. § 4. opponitur. Vult. d. § 4. n. 6. His, inquam, casibus
legatum debetur, etiam si testator rem alienam esse igno-
raverit, & suam putaverit; præsumitur enim legaturus
fuisse, quamvis rem esse alienam scivisset.

24. Quod si dubium an alienam scierit, an ignorarit
testator, legatarius scientiam defuncti probare compelli-



tur d. § 4. *vers. Et verius. h. t.* ornare enim magis & augere facultatibus quàm gravare heredem res redimendo alienas præsumitur d. § 8. l. 67. de leg. 2. quod probandi onus in legatarium meritò transfert, cum aienti non neganti onus probandi incumbat, sæpius alleg. § 4. in fin. l. 2. l. *verius. 21. ff. de probat. l. actor. 23. C. eod. tit. l. 4. C. de edendo. Arum. exerc. Justin. 9. sub. th. 3. circ. fin.*

25. Nec quicquam jure Canonico in rei alienæ legato mutatum est, ut statuunt per *c. filius. 5. extr. de testam. S. chard. alleg. loco. n. 8. Panorm. ad d. c. filius. de testam.* Nam quod in *d. c. filius.* traditur cò tantùm pertinet, ne legatarius prætextu rei legatæ invito domino rem alienam retineat: non tamen prohibet Pontifex æstimationem præstare *arg. c. si Episcopus 12. q. 5. Covarr. in d. c. filius. n. 5.* Alii statuunt *d. c.* loqui de re alienâ ad Ecclesiam pertinente legatâ, in qua singulare est. *Mantica de conject. ultim. volunt. lib. 9. t. 10. n. 1. Fach. contr. 5. c. 38. Wesemb. ad d. § non solum. n. 1. Arum. disp. 9. exerc. 3. Heig. hic. n. 11.*

26. QUID SI TESTATOR REM SUAM QUASI ALIENAM LEGAVERIT? Quod licet negandum videatur: cum nemo ignorans rem alienam rectè legat. *d. § non solum. 4. sine cunctatione tamen valere Justin. inquit in § si quis 11. h. t. cum plus sit & valeat, quod est in veritate, quàm quod in opinione l. regula. 9. § 4. ff. de jur. Et fact. ignor. l. si pater. 4. § 1. de man. vind.* Si namque rem, licet alienam, legare voluit, multò magis & citius si suam esse scivisset, legaturus fuisse præsumitur *d. l. 67. § si rem. de leg. 2.*

27. Porro non res solùm sed & FACTA (puta ut heres domum alicujus reficiat, eumque ære alieno liberet) validè legari posse Imp. in *Stam autem 21. h. t.* statuit, *idem.*

idemque dicitur in *l. si cui 49. § fin. de leg. 1. l. mortuo 49. § ult. de leg. 2.* modò licita & jure prohibita non fuerint *l. si quis. 112. § p. & ult. de leg. 1.* Nunc de RELINQUENDI MODO.

28. Non solùm autem testamento ut olim *§ preterea. 10. de fideicom. hered.* sed & quâvis, exæquatâ legati & fideicommissi naturâ, de quo postea, ultimâ voluntate, & codicillis testamento etiam non confirmatis *l. 1. C. de codicill. l. 75. pr. de leg. 2. Mynsing. § 1. Inst. hic. n. 7. Vigl. ad pr. de testam. n. 30. Diss. Vasq. ad d. § 27. n. 124.* etiam in epistola *l. 22. C. de fideicom. quin immò & nutu fieri legata possunt d. l. 22. C. de fideicom. l. nutu. 21. pr. de leg. 3.* nullâ ratione habitâ sexus vel doctrinæ, sed tamen testibus adhibitis *l. fin. § ult. C. de Codicill. VVesemb. in π. de leg. 1. n. 7.*

29. Idque vel PURE, CUM NEC DIES, NEC CON-
DITIO ADIICITUR *l. 1. pr. l. 85. ff. de cond. & demonstr. l. omnia. 32. pr. de leg. 2.* vel in heredis vel legatarii arbitrium confertur, ita: heres cum voluerit Titio decem dato. *l. fideicommissa. 11. § 5. de leg. 3.* hic enim non tam legatum, quam legati solutio in heredis confertur voluntatem. Estque hoc legatum per se purum, solutio verò in id tempus quo voluerit dilata; ante solutionem itaque herede mortuo, heres ejus legatum præstabit *d. l. 11. § 6. de leg. 3. l. uxorem. 41. § 13. eod. rit.* quod secus esset si conditionale legatum, tunc enim deficiente conditione legatum extingueretur. Sed quid est, quod *Ulp. in l. senatus. 43. § legatum. d. leg. 1.* dicit, legatum in heredis voluntatē poni nō posse? consentisq; *l. sub hac. 8. de O. & A. l. stipulatio. 17. de V. O.* Sed illud ita est accipiendum, si legatum hâc conditione aliquo modo ponatur in voluntatē heredis,
hoc

hoc modo: Si heres voluerit Titio decem dato: secus de-
tractâ conditione; cum heres voluerit. *Don. lib. 8. com. c. 15.*
circ. fin.

30. Vel IN DIEM CERTUM, cum ex certo die dari ju-
betur *l. si dies. 21. in pr. ff. quâd. dies legat. facit § omnis stipu-*
latio 2. ff. de V. O. Harumque natura est, ut cum dies à mor-
te testatoris cedat, eò defuncto statim debeantur. *l. 5. § 1. qu.*
dies leg. l. unic. § 1. C. de caduc. toll. ejus tamen, priusquam
adita hereditas fuerit, esse non intelliguntur, neq; etiam
peti possunt. *l. omnia. 32. pr. de leg. 2.* Et ita accipienda *l. §*
eleganter. 7. § ita si servum. 5. ff. de dolo malo. l. servum. 44. §
1. l. si tibi. 86. § 2. de leg. 1. Unde licet post diei illius celsio-
nem ante aditam hereditatem legatarius decesserit, lega-
tum nihilominus ad heredes ipsius transit. *d. § 1. l. 5. l. he-*
redis. 7. pr. § § 1. qu. dies legat. Excepto usu fructu vel habi-
tatione legatâ, quæ cum legatarii personâ finiuntur. *l. 2. l.*
3. l. 5. § 1. ff. d. i. d. l. unic. § 6. C. de Caduc. tollend.

31. Vel SUB CONDITIONE, si in futurum & incertum
aliquem casum legatum differtur. *d. l. 1. § 2. l. heres. 79. § 1.*
ff. de cond. § dem. Secus est si non ipso legato, sed solutioni
seu legati peritioni adijcitur, tunc etenim purum est, non
conditionale, siquidem legato non conditio inserta sive
adjecta, sed peritio in tempus dilata, eique mora injecta
censetur. *l. quod pure. 6. § 1. qu. dies legat. l. heres. 79. in pr. ff. de*
cond. § demonstr. Insuper si ante conditionis eventum mo-
riatur legatarius, nihil ad heredes transmittit *d. l. 5. qu. dies*
leg. Don. in l. 57. de V. O. Geil. 2. obs. 132. arg. l. 5. C. de condit. in-
sert. diversum est in contractibus § 4. Inst. de V. O. Duar. in
l. 7. de V. O. rationem diversitatis benè explicat Gujac. ad
l. 78. eod.

32. Vel SUB MODO, ut munimentum testatori legata-
rius faciat, filiam emancipet &c. *l. demonstratio. 17. § 4. ff. de*
cond.

cond. & dem. quo ita constituto, nisi legatarius modo pa-
ruerit, doli mali exceptione repellitur. *l. si cui. 92. ff. d. t. l.*
si tibi. 19. de leg. 3. l. cum in. 48 ff. de fideic. libert.

33. VEL SUB CERTA DEMONSTRATIONE *l. demonstra-*
tio. 17. de cond. & dem. quæ licet falsa fuerit, legatum tamen
non perimit. *§ huic. 30. Inst. h. t. l. falsa. 33. de cond. & demon-*
str. Cuj. in π. C. de fals. caus. adiect. n. 4. Duar. in l. 4. de leg. 1.
Demonstratio enim nominis vice fungitur. *l. certum. 6. ff.*
si cert. petatur. l. nominatim. 34. de cond. & demonstr. Et nomi-
na rerum atque hominum significandorum gratia adin-
venta *§ si quis. 29. Inst. h. t.* Quod itaque de nomine antea
dictum, idem & in demonstratione obtinebit; cum ejus
rei, quæ per se satis demonstrata, frustra demonstratio sit.
l. 1. § fin. ff. de dote preleg.

34. SIC NEC FALSA CAUSA LEGATIS ADPOSITA nocet §
longè. 31. Inst. h. t. d. l. 17. § 2. l. 72. § 6. ff. de cond. & demonstr.
modò aliàs de corpore vel specie legatâ constet. *Pac. 6.*
èvart. 32. Ant. Fab. s. con. 2. ratio namque legandi legato
non cohæret, ut eâ cessante legatum cessare debeat, cum
& sine ullâ causâ gratuitò & liberaliter legari solet. *l. cum*
tale 72. § falsam causam. 6. ff. de cond. & demonstr. Wesemb. par. ff.
d. t. n. 9. nisi testator legaturus aliàs non fuisse probatur. *d. §*
falsam causam 6. vel cõditionaliter causa concepta sit, tunc
enim conditio in formâ suâ, ut in aliis omnibus contra-
ctibus, adimplenda. *l. 44. d. t. l. 2. C. de his quæ sub modo.*

35. NON UNI PORRÒ TANTUM, SED ET FLURIBUS res eadem
in individuo legari ab eodem in eodem testamento po-
test, eo fine, ut si omnes ad legatum pervenerint, in vi-
riles & æquas portiones inter ipsos scindatur. *l. legata. 19.*
§ 1. de leg. 1. l. 23. § 1. C. eod. sin unus deficiat, totum ad col-
legatarium pertineat. *§ si eadem. 8. h. t. l. 1. § interdum 3. ff.*
de usufr. accresc. l. unic. § ubi autem. 11. C. de cad. toll. Schneidv.
add. § si eadem. n. 8. h. t.

C

36. Sunt



36. Suntque HI in triplici differentia: aut enim RE TANTUM, aut VERBIS TANTUM, aut RE ET VERBIS SIMUL CONIUNCTI intelliguntur. *l. 142, ibiq; Coedd. de V. S. l. 89. de leg. 3.*

37. RE TANTUM CONIUNCTI dicuntur, qui separatim sive disjunctim diversis orationibus ad eandem rem vocantur; ut Titio Stichum do, lego; Sempronio Stichum do, lego. *d. l. 89. & hi in specie disjuncti vocantur d. § 8. h. t. d. l. unic. § 10. C. de Caduc. toll. Duar. lib. 1. c. 6. de jure adcrefc. Ac in hac conjunctione, cum unicuique in solidum Stichus legatur, non tam jus adcrefcendi, quam jus non decrefcendi locum habet. Fiunt enim partes concursu utriusque legatarii, ex forma legati: Vtrique enim in solidum Stichus est legatus. Quamobrem altero legatariorum mortuo, aut repudiante legatum, quia concursus cessat, alteri in solidum Stichus jure non decrefcendi cesset *d. l. unic. § ubi 11. C. de cad. toll. Mynsing. add. § 8. Inst. h. t. n. 18. Valtei. ad § fin. de donat. n. 9. Wesemb. in w. de usufr. adcrefc. n. 5. Arum. in disp. pand. 18. th. 12. Diss. Borch. ad d. § 8. h. t. n. 7. Treutler. vol. 2. disp. 13. th. 3. lit. C. Bocer. class. 3. disp. 8. th. 70. Cujac. 15. obs. 4. § 24. obs. 34.**

38. VERBIS TANTUM CONIUNCTI sunt, qui eadem oratione ad diversas res, seu potius ejusdem rei diversas partes vocantur: ut Gaio & Seio fundum Cornelianum ex æquis partibus do, lego *d. l. 89. l. 66. ff. de hered. instit.* Hosque inter conjunctos jus adcrefcendi propriè locum sibi vindicare, ut si alteruter moriatur, aut repudiet legatum, alteri pars ejus adcrefcet, verius putamus propter *l. 16. in fin. de leg. 1. d. l. planè. 34. § 9. eod. l. 89. de leg. 3. d. § ubi autem. 11. § d. § in his itaque. Wesemb. d. loc. Don. 7. com. 13. § 14. Goed. ad l. 142. n. 9. de V. S. Bronchorst. cent. 3. c. 65. Arum. exerc. Justin. 9. th. 11. Hænon. disp. 10. th. 26. Treutler. vol. 2. disp. 13. th. 3. lit. C. Mynsing. d. l. Diss. Fackin. lib. 5. contr. cap. 56.*
Harpr.

*Harpr. add. § 8. h. t. n. 10. Ant. Fab. 6. com. 1. Borch. Bocer. Cui.
ll. supra citatis.*

39. RE ET VERBIS SIMUL CONIUNCTI dicuntur, cum
duo eâdem oratione ad rem eandem sine partium men-
tione vocantur; hoc modo: Mævio & Seio fundum
Tusculanum do, lego. *d. § 8. l. 85. de leg. 1. & hi propriè con-
iuncti dicuntur l. 1. § interdum. ff. de usufr. ad cresc. l. planè. 34.
pr. de leg. 1.* Hic certè verbalis conjunctio sola non est, cum
partes nullæ sint expressæ: nec realis sola, cum verbis jun-
gantur legatarii: itaque & verbis & re conjuncti sunt. Et
ita in hâc conjunctioe mixtâ tam jus non decrescendi,
quod est re conjunctorum, quàm ad crescendi, quod con-
iunctis verbo proprium esse diximus, locum habet *d. l. u-
nic. § 11. C. de cad. toll. Wesemb. in w. d. t. de usufr. ad cresc. n. 5.
Diss. Vultei. d. loc. § Dd. supra allegati.* Et hæc de intrica-
tissimâ, omnium Interpp. judicio, teste Harprech. subtili,
obscurâ, difficili, involuta, totoque ferè jure diffusâ ma-
teriâ, quantum præsentis materiæ opus, dixisse sufficiat;
reliqua ex Govean. Duar. Ferret. & aliis commentatori-
bus petere passim licet.

40. INFIRMATUR LEGATA vel CASU, vel VOLUN-
TATE TESTATORIS, vel LEGE. CASU INFIRMANTUR, si
testamentum vel codicilli, quibus relicta, infirmantur
*l. 1. C. de posth. hered. inst. l. eam. 14. vers. tunc enim. C. de fidei-
com. l. si nemo. de R. l. sublato enim toto, quod est te-
stamentum, meritò & partes concidunt.* Excipitur
jure hodierno casus, quo per inofficiosi querelam,
testamentum rescinditur; tunc enim institutiones qui-
dem irritæ sunt, cœteris in testamento relictis salvis per-
manentibus *Nov. 115. cap. 3. § 14. vers. si autem hæc Auth. ex
causa. C. de lib. præter.*

41. TESTATORIS VOLUNTATE adimuntur legata, vel
EXPRESSE, si disertis verbis prius datum, vel eodem testa-
mento aut codicillis *pr. Inst. de adim. leg.* vel sine codicillis
etiam duobus testibus contrariam suam voluntatem ex-
ponendo aufert. *l. 3. § fin. de adim. vel transf. leg. l. si jure. 18.*
de leg. 3. l. ubi numerus. 12. ff. de testib. vel TACITE, ex legis præ-
sumptione & contrariæ voluntatis conjecturâ l. translatio.
6. ff. de adim. leg. veluti SI INIMICITIAE CAPITALIS inter
testatorem & legatarium postmodum ortæ fuerint *d. § fin.*
l. 3. l. ex parte. 22. C. eod. nisi reconciliatio intervenerit l. 4.
eod. Sichard. ad l. 27. n. 3. & seq. C. de fideicom. SI RES LEGATA
IN ALIAM FORMAM mutata fuerit, ita ut & in aliam for-
nam & nomen abierit, quod destructione, aut in aliam
speciem translatione rei legatae accidit. l. Seia. 6. § item que-
ro. 1. ff. de auro. & arg. leg. l. si ita. 65. § ult. de leg. 1. l. lana. 88.
de leg. 3. & hoc obtinet cā in re, quæ ad pristinam speciem
non potest reduci l. item. 49. § 5. de leg. 3. SI NULLA NECES-
SITATE COACTUS ALIENAVERIT, ad eò ut non convale-
scat, licet eandem postea redemerit l. cum servus. 15. l. rem
legatam. 18. h. 1. & tantum de legato detractum videtur,
quantum alienavit. § si rem suam. 12. Inst. de leg. l. Stichum. 6.
l. si ex toto. 8. pr. de leg. 1. & hâc ratione non solum res prin-
cipalis extinguitur, sed ne accessiones quidem rei princi-
palis debentur. l. 2. ff. de pecul. leg. Mynsing. ad d. § 12. de leg.
n. 2. & S. hneidov. n. 3. Wesemb. in π. de adim. leg. n. 4. Philip.
Matth. in com. R. l. ad l. 82. n. 4. videatur Don. d. lib. 8.
com. 17.

42. LEGE quandoque præter testatoris voluntatem
minuitur legatum, cum ultra dodrantem vel vires etiam
patrimonii hereditatem testator oneraverit, quod legis
Falcidiæ inductum est beneficio, quo detrahere heres vel
ejus successor quartam potest *l. qui duos. 42. ff. de vulg. & pu-*
pill.

pill. subst. l. 10. C. ad l. falcid. Nam cum olim lege XII. tab. *Ulp. in fragm. t. 12. § testamento.* legandi facultas latissima liberrimaque fuerit, in tantum, ut universam etiam hereditatem legatis exhaurire & absumere testator potuerit, autore hic Justin, non raro fiebat, ut nemine ob exiguum lucrum hereditatem adeunte, testamenta corruerent: ex usu Reipubl. esse visum est, ut libera illa legandi facultas, ne suprema judicia destituerentur, aliquo modo coarctaretur, quo esset ut heredi quid relinqueretur, & sic justo aliquo lucro ad adeundum invitaretur, idque coangustatum est vel legum interpretatione, vel auctoritate jura constituentium *l. verbis. 120. de V. S.*

43. Tres autem leges testamentariae, ut vocabantur olim, isti nimiae legandi licentiae coercendae sunt latae. PRIMA est lex Furia, à C. Furio TRIBUNO LATA, quae cautum fuit, ne cui plus quam *χιλία νομίσματα*, seu (ut tunc loquebantur) mille nummi legari possent; alioqui ejus quod amplius legatum esset, quadruplum restitui. *Theophil. hic Ulp. in fragm. t. 1. § 1.* Sed hanc lege tantum de singulis legatariis cavebatur, non de universis: quare si plures erant, quibus singulis mille asses legari essent, tota hereditas, praesertim non opulenta, facile absumebatur, ut in idem vitium res recideret. ALTERA Voconia, quae à Q. Voconio trib. pleb. lata, quae, Furia abrogata, tulit, ne plus legatarius quam heres haberet. Sed eadem lex sufficiens ad rei consummationem non erat, ut Justin. loquitur, quae & ipsa evertebatur legando multis. TERTIA haec lex Falcidia, ab auctore Gaio Falcidio trib. pleb. sicut aliae sic nominata, quae intra dodrantem, ut dictum, coarctata haec legandi potestas, ita ut quadrans totius hereditatis integer & illibatus semper maneat. *l. 1. l. 77. § pass. ff. h. t. Harp. ad pr. Inst. de lege Falcidia.* Et haec de legatis.

44. FIDEICOMMISSUM est liberalitas, quâ quis res suas alicui verbis precariis vel alio quocunque indicio ultimæ voluntatis committit, ut alii easdem restituat. *arg. l. 6. ff. si cui plus quam per l. falc. lic. pr. Inst. de sing. reb. per fideic. relict. Cujac. in π. de leg. 1. n. 4. Harpr. ad pr. Inst. de fideic. hered. n. 3. ibid. Wesemb.*

45. Estque ex eo dictum, quod fidei heredis (qui fiduciarius ob id dicitur *l. Seius, 45. ff. ad SC. Treb.*) vel alterius à quo quid relinquitur, ut aliquid det vel faciat, committitur. *§ sciendum, 1. § § quia, 12. Inst. de fideic. hered. Wes. in π. de leg. 1. in fin.* Adeo enim ab ejus fide dependebat olim, ut si nollet, nulla præstandi esset necessitas *d. § sciendum*: quod tamen postea Divus Augustus, heres à Lucio Lentulo scriptus, cum ab eo fideicommissa essent relicta, immutavit, & fideicommissa ad juris necessitatem pertraxit. *d. § § quia, 12. § pr. Inst. de Codicill.* ac mandavit ut magistratus eum, qui restituere rogatus erat, ad præstandum fideicommissum cogerent.

46. Fideicommissum duplex est: UNIVERSALE & PARTICULARE seu SINGULARE *t. t. de fideic. hered. § t. de sing. reb. per fideic. relict. l. 1. pr. ad SC. Treb. l. generali. 13. C. de SS. Eccles. Wes. in π. de leg. 1. n. 10.* ILLUD cum hereditas vel tota vel pars per interpositam personam alicui relinquatur. *l. ult. C. ad SC. Treb.* HOC cum res singulæ *d. t. de sing. reb.*

47. Quamvis autem longè quoad formam & substantiam differant legata & fideicommissa, effectu tamen hodie, cum per omnia & in omnibus exæquata, *§ sed non usq. 3. Inst. de leg. 1. tam hi, 1. l. omne. 2. C. comm. de leg. Wes. ad d. § 3. n. 3.* singularem ejus tractationem intermittimus.


48. Coronidis loco adjicere placet quæstionem nondum satis expeditam: NUM EXÆQUATIO HAEC JURI VETE-

VETERI, AN VERÒ JUSTINIANEAE LEGISLATIONI AD-
SCRIBENDA? Et quanquam primi nominis Jurisconsulti
Govean. 1. var. lect. 29. Robert. 2. sent. 23. Duar. 1. disp. 9. con-
tendant ante Justinianum legata per omnia exæquata fu-
isse fideicommissis & vice versa. Justiniano tamen nostro
adcepto ferendam adæquationem meritò putamus per
*l. 2. C. comm. de leg. d. § 3. Inst. de leg. § fin. de Oblig. quæ ex qs.
contr. nasc. Cui. in ꝑ. C. quod legator. Bocer. class. 3. disp. 8.
th. s. Vultei. & Harpr. ad d. § sed non usq.*

COROLLARIUM.

Fratres pro indiviso feudum possiderunt, divi-
sione subsecutâ, alter alteri partem suam vendidit,
Emptor certam pecuniæ summam pro illa promi-
sit, pacto interveniente, ut pretium illud in feu-
dum redigi debeat; Venditor de pecunia nondum
soluta in ultima voluntate disposuit; Num dispo-
sitis illa valeat? quæstio oritur; Et valere Verior
& Juri conveniens sententia est.

SOLI DEO GLORIA.





ULB Halle 3
004 961 196



WMA







3987

Auspice Christo
SUBSEQUENTES

1632

31

DE LEGATIS ET FIDEI COMMIS-

SIS,
Conclusiones

Magnifici atq; Amplissimi Jctorum Ordinis in Celeber-
rima Academia Witebergensi consensu

PRÆSIDE

CONRADO CARPZOVIO,
J. U. Doctore, Sereniss. Elector. Saxon. Consilia-
rio, Professore Publ. Cur. Provinc. Consistor. Eccle-
siast. & per Lusat. inferior. Judicii Asses-
sore.

Publicè examinandas ac ventilandas
proponit

AUGUSTUS CARPZOVIVS,
Coldicensis Misnicus,

In Auditorio Jctorum

Ad diem XI. Aug. horis matutinis

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN,
ANNO M DC XXXII.

